

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6321

**Auteur(s) :** Maurice, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Lô (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1232

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Appointement entre Saint-Lô et Beaulieu pour leurs droits respectifs.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° X b, p. 298-300.

Texte établi d'après a

Cum super contentione que inter priorem et conventum Sancti Laudi Rothom. ex una parte et priorem et conventum Belli loci ex alia vertebatur super electione prioris Belli loci quem ab administratione prioratus Belli loci amoveri petebant pro eo quod post appellationem legitime interpositam ab iisdem priore et conventu Sancti Laudi fuerat electus sicut dicebant. Super hoc etiam quod petebant ut per electionem de aliqua persona de collegio Sancti Laudi assumenda providerent ecclesie Belli loci de pastore secundum formam compositionis inite inter ecclesias memoratas et super villa sancti Iohannis de Nova villa cum redditibus eiusdem ville et centum acris nemoris sitis in circuitu prioratus Belli loci et centum acris terre sitis inter dictum prioratum et villam que dicitur Bosleveske et super dampnis arreragiorum, super quibus omnibus tam possessorium quam petitorium intentabant in nos archiepiscopum Rothom. et episcopum Constanciensem super hac forma fuerit compromissum. Quod nos pro voluntate nostra haut et bas ordinemus quod super causis predictis et earum appendiciis nobis placuerit ordinare. Nos habito prudentium virorum consilio, pensata utilitate utriusque ecclesie, statuimus et ordinamus quod rata manente electione prioris Belli loci qui nunc est, quociens in posterum apud Bellum locum prioris fuerit electio celebranda, conventus Belli loci diem electionis per octo dies ante priori et conventui Sancti Laudi per litteras teneatur capituli nunciare. Ad quam diem prior et conventus Sancti Laudi tres de suo collegio alios a priore cum litteris capituli et prioris poterunt si voluerint destinare. Qui cum ad diem electionis venerint ad eligendum cum ceteris canonicis Belli loci admittentur ab eis et tunc dicti tres cum aliis de gremio utriuslibet ecclesie eligent in priorem quem secundum Deum viderint expedire vel aliunde de persona idonea providebunt ecclesie memorate. Ita quod canonici Sancti Laudi quantum ad hoc quod aliquis eorum eligatur in priorem Belli loci censebitur quasi esset de gremio ecclesie Belli loci. Dicti etiam tres canonici Sancti Laudi in negocio electionis idem per omnia iuris habebunt ac si essent canonici Belli loci excepto quod si omnes canonici Belli loci in negocio electionis per viam compromissionis unanimiter voluerint procedere, per canonicos Sancti Laudi nequaquam poterunt impediri. Ita tamen ut unus ex illis tribus quem conventus Belli loci duxerit eligendum erit compromissarius cum aliis de dicto conventus quos ad hoc compromissarios sub quocunque numero voluerint capitulum Belli loci duxerit eligendos, quorum maioris partis dicto ceteri compromissarii non poterunt obuiare. Statuimus etiam et ordinamus

quod dicti prior et canonici Belli loci pro quibusdam rebus temporalibus superius annotatis que petebantur ab eis octoginta libras turonenses priori et conventui Sancti Laudi solvere teneantur, scilicet triginta libras infra octavam instantis Natalis Domini et triginta infra octavam Natalis sequentis et viginti libras infra octavam Natalis anno tercio secuturæ sub pena centum solidorum turonensium pro singulis terminis in quibus dicti canonici Belli loci a solutione cessabunt predictis priori et cononicis Sancti Laudi integre persolvendis. Hiis autem que superius sunt notata utramque partem volumus et statuimus esse contentam. Ita quod ecclesia Sancti Laudi nullum aliud ius spirituale vel temporale nec sexaginta solidos turonenses annui redditus quos canonici Belli loci eis ratione cuiusdam compositionis aliquando persolverunt, nec aliquid pro arreragiis aut expensis petere poterunt a predictis canonicis Belli loci. Ad cuius rei confirmationem presenti scripto sigilla nostra dignum duximus apponenda. Datum anno Domini m°. ducentesimo tricesimo secundo die lune proxima ante Nativitatem beate Marie.